



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHL
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0646

Sabato 10.11.2012

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI CONCLUSIVE DEL V CENTENARIO DELL'ARRIVO A PUERTO RICO DEL PRIMO VESCOVO (SAN JUAN DE PUERTO RICO, 19 NOVEMBRE 2012)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI CONCLUSIVE DEL V CENTENARIO DELL'ARRIVO A PUERTO RICO DEL PRIMO VESCOVO (SAN JUAN DE PUERTO RICO, 19 NOVEMBRE 2012)

In data 22 settembre 2012, il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato l'Em.mo Card. Carlos Amigo Vallejo, O.F.M., Arcivescovo emerito di Sevilla, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni conclusive del V centenario dell'arrivo a Puerto Rico del primo Vescovo, Don Alonso Manso, O.F.M., in programma a San Juan de Puerto Rico il 19 novembre prossimo.

Il Cardinale Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- Mons. Elías Salvador Morales Rodríguez, Rettore del Seminario Maggiore e Vicario Giudiziale della diocesi di Ponce;
- Mons. Mario Alberto Guijarro de Corzo, Parroco della parrocchia "Mártires de Verona" a San Juan de Puerto Rico.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Papa all'Em.mo Card. Carlos Amigo Vallejo:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro
CAROLO S.R.E. Cardinali AMIGO VALLEJO, O.F.M.,
Archiepiscopo Metropolitae emerito Hispalensi

Praeclaras inter missiones, quas Ecclesia Dei summo studio assumpsit ad fidem propagandam salutemque Christi per terras diffundendam, ea ad inhabitantes in Portu Diviti iure meritoque adscribenda est. Immo vero copia credentium illic ministranda tam cito increbuit ut Romanos Pontifices oporteret Episcopos nominare ad spiritale bonum novorum gregum curandum. Inter quos primos exstitit Reverendissimus Dominus Alonsus Manso, O.F.M., cui Iulius Papa II gubernationem novae dioecesis Portus Divitis, a Se anno MDXI conditae, concredidit. Anno MDXII novus Episcopus eandem ad insulam advenit et penitus necessitates sui gregis

percepit eisque prospicere studuit. Idcirco scholas condidit, valetudinaria exstruxit, primam ecclesiam cathedralem aedificavit; a quibus incoeptis Ecclesia quodammodo se extendit per cunctam regionem.

Qua de causa neque incongrue neque importune commemorari censemus quingentesimum annum ex quo illustris ille Episcopus appulit ad Portum Divitem. Libenter ergo petitionem accepimus Venerabilis Fratris Rubén Antonii González Medina, C.M.F., Episcopi dioecesis Caguanæ atque Praesidis Conferentiae Episcopalis Portudivitensis, nec non Venerabilis Fratris Octavii González Nieves, O.F.M., Archiepiscopi Metropolitanae Sedis Sancti Ioannis Portoricensis, qui summis Nos rogaverunt ut mitteremus aliquem Legatum in Portum Divitem ad praesidendum celebrationi Eucharisticae die XIX proximi mensis Novembris quo haec anniversaria memoria magis extollatur.

Hisce precibus libenter annuentes ad Te quidem, Venerabilis Frater Noster, qui plus quam quinque lustra rexisti archidioecesim metropolitanam Hispalensem, cui antiquissimae Sedi dioecesis Portus Divitis eo tempore Alonsi Manso suffraganea fuit. Nec minus idoneus Nobis videris huic officio explendo, cum Tu ad eundem Ordinem Fratrum Minorum pertineas eodemque missionali zelo ferveas. Quamobrem harum Litterarum vi Te designamus NOSTRUM MISSUM EXTRAORDINARIUM, mandatis tibi factis, ut memoratis diebus in Portu Diviti sacris celebritatibus Nostro nomine praesidis atque Nostros pastorales sensus fidelibus ibi congregatis humaniter renunties. Cum autem personam Nostram illic geres, loqueris non tantum, ut liquet, de recolendis huius Praesulis gestis, neque solum de rebus ad historiam spectantibus, sed etiam, ac quidem potissimum, de huius eventus recordatione utpote impulsu ad hodie praedicandum Evangelium Iesu Christi, in Quo tota revelatio divina consummatur (cfr 2 Cor 1,20 et 3,16 - 4,6). Enimvero maximum illud munus quod, suo iam instante ad Patrem reditu, Dominus discipulis demandavit (cfr Mc 16, 15), non erat sane Apostolorum vita terminandum, sed perpetuandum in Ecclesia usque ad consummationem saeculi, veluti mandatum quod semper est novum.

Ut autem haec omnia tam praeclara et excelsa ad effectum deducantur, expetendum est etiam auxilium Beatae Mariae Virginis Immaculae, Ecclesiae in America Patronae: eius curae praesentem vitam et futuram sortem totius communitatis catholicae in Portu Diviti fidenter committimus. Vota autem, quae facimus, ut inde fructus quam uberrimi percipiantur, confirmet Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater Noster, libentissime in Domino impertimus, communicandam cum Praesulibus, Magistratibus, sacerdotibus, religiosis et fidelibus universis, qui eiusdem iubilaei causa in unum congregabuntur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die X mensis Octobris, anno MMXII, Pontificatus Nostri octavo.

BENEDICTUS PP XVI

[01485-07.02] [Testo originale: Latino]
